

partem, obligat ad secundam; ita ergo est in præsenti: nam, licet hæc lex de qua agimus non obliget ad hoc faciendum, vel omittendum absolute, obligat tamen vel ad hoc, vel ad sustinendam pœnam, aut alium effectum legis, si in priori parte lex non servetur.

9. Ultimo hinc concluditur resolutio quæstionis. Dico enim omnem veram legem humanam necessario resolvi in aliquam conscientiæ obligationem. Probat, quia necesse est ut lex vel absolute obliget ad actum, vel saltem sub aliqua pœna. Priori modo late obligat in conscientia ad talem actum, ut ostensum est. Si autem feratur posteriori modo, ita ut sit lex pure pœnalis, obligabit vel ad solvendam pœnam, supposita transgressione, si cum eo rigore posita sit, sicut obligat votum pœnale, vel ad sustinendam pœnam, ut recte explicuit D. Antonin. 3 parte, tit. 16, capite ultimo, in fine, et tandem consentit Joannes Eselius supra; et patet, quia nisi teneatur in conscientia sustinere pœnam qui tale statutum transgressus est, non poterit superior habere jus ad puniendum illum, vel posset dari bellum justum ex utraque parte. Atque hoc modo facile explicantur leges omnes quæ dicuntur pure pœnales. Idem vero dicendum est cum proportionem de legibus irritatoriis, vel quæ dant formam substantialem contractibus, etiamsi supponatur non obligare immediate in conscientia ad talem formam vel modum, quod quidem in eis rarius et difficilius est, quia efficere actum sine his conditionibus quæ necessariae sunt ad finem et valorem ejus, contra prudentiam, et consequenter contra honestatem esse videtur: casu illo tamen admissio (de quo infra), semper lex illa resolvitur in aliquem effectum, ad quem obliget in conscientia. Nam qui fecit contractum jure humano irritum, ipso facto, conscientia tenetur, vel rem apud se non retinere, vel alium non obligare, vel denique non uti illo contractu ad alios effectus quos haberet si irritus non fuisset. Idem censeo dicendum de aliis legibus, quæ ex intentione legislatoris dicuntur obligare in foro exteriori, et non in interiori: illæ enim si referantur ad ipsos iudices, illos obligant in conscientia, ut secundum tales leges in foro exteriori iudicent, et consequenter obligare possunt subditos, ut in eodem foro pareant iisdem legibus et non resistant, et hoc modo semper lex obligat in conscientia, si sit propria lex præceptiva, seu ordinativa. Quod ideo addo, quia si sit tantum lex permissiva, talis lex, respectu illius personæ ad quam spectat permis-

sio, non est proprie lex, ut in superioribus vidimus, et ideo mirum non est quod secundum eam rationem, et respectu ejusdem, non inducat obligationem in conscientia; inducet autem illam respectu aliorum quibus imperat, ut talem actum non puniant vel impediunt, juxta supra dicta de effectu talis legis. Et idem cum proportione dicendum est de lege concedente privatum privilegium, quia respectu ejus in cujus favorem fit, non habet rationem legis, et ideo illum non obligat in conscientia, sed obligat alios, ut contra illius privilegium non agant. Atque ita in universum omnis vera lex humana aliquam obligationem in conscientia inducit.

10. *Satisfit argumentis oppositis.*— Ex his ergo facile patet responsio ad primam rationem dubitandi priori loco positam. Potest enim vera lex ferri sine intentione obligandi absolute in conscientia ad actum, vel omissionem immediate ordinatam per legem: quamvis non possit ferri lex sine intentione ita obligandi, ut saltem resolvi possit in obligationem conscientiæ, saltem quoad pœnam aliquam, vel coactionem substituendam, vel aliquid simile. Atque in hoc sensu dixerunt multi auctores legem non obligare in conscientia, quando legislator sufficienter declarat, hanc esse intentionem suam, ut tractat late Castro supra, et admittunt Sylvest. verb. *Lex*, q. 9, casu 1; Soto, supra dicta q. 6, a. 4; et Navar. cas. 23, n. 48 et 49; Covar. in reg. *Peccatum*, p. 2, § 5; Dried., l. 1, de Libert. Christ., c. 3. Quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, maxime quando non operantur naturaliter, sed voluntarie. Hi autem doctores supponunt posse legislatorem habere voluntatem ferendi legem sine intentione obligandi in conscientia. Quod est verum quoad absolutam obligationem proximi actus; non vero quoad obligationem quasi disjunctam vel conditionatam faciendi, vel patiendi illud, si hoc non fecerit: et hoc probat ratio dubitandi, et exemplum de voto, et non aliud: unde etiam recte concluditur non posse intelligi veram legem sine obligatione, vel ad culpam, vel saltem quoad pœnam respectu actus immediate intenti. Quomodo autem interdum possit lex pœnam injungere, licet non supponat in transgressione veram culpam, quod referendo contrariam sententiam tetigimus, tractabimus late agentes de lege pœnali; nunc satis sit dicere, ad humanam pœnam, vel quasi pœnam, seu coactionem aliquam interdum sufficere causam justam, licet culpa non sit.

Propter quod cum tali limitatione dicitur in cap. 23 de Regulis juris in 6: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Hæc autem causa, licet interdum non sit culpa apud Deum, tamen apud humanam communitatem, quatenus pars discordat a toto, saltem in exteriori seu civili observantia, dici potest quædam culpa civilis, seu humana, ac proinde sufficiens ad levem pœnam humanam infligendam.

11. Atque eodem modo respondendum est ad primam confirmationem ibi positam, quod lex est regula operationis: talis enim est regula, qualis est lex, et ideo si sit lex absolute præcipiens actum, erit simpliciter regula, et de illa procedent omnia quæ ibi dicuntur; nam re vera obligabit in conscientia: si vero fit tantum lex cum limitatione præcipiens sub tali conditione ad tale onus et non majus, distinguendum est inter simplicem actum, quem primo lex intendit, et inter totam legis seu regulæ obligationem. Nam respectu solius actus non est illa lex absoluta regula honestatis, nec solus defectus a tali regula in tali actu est malus moraliter, sed est de se onerosus, quatenus reddit obnoxium tali oneri, seu pœnæ: respectu vero totius materiæ talis legis, censeri potest regula honestatis, quia ita obligat ad totum disjunctum, ut non possit in utraque parte committi contra talem legem, quin turpiter et contra bonos mores peccetur; puta, si non solum lex in priori actu non impleatur, sed etiam nolit quis parere pœnæ, et illi resistat.

12. Et per hoc etiam patet, quomodo talis lex differat a consilio: nam consilium per se nullam coactionem habet nec obligationem, etiamsi non servetur, ut constat. Aliter vero Angelus verb. *Inobedientia* distinguit duplex consilium: unum vocat perfectionis, ut est consilium paupertatis, etc.: *Vade, et vende omnia quæ habes*, etc., et aliud reverentiæ, quale esse dicit, quando subditus deberet facere, et nihilominus superior solum consultit quod posset præcipere. Quam distinctionem habet etiam Glossa ult. in cap. *Ad aures*, de Ætat. et qualit.; et Panormit. in cap. 4 de Constit., n. 4; et citatur etiam Archid. in cap. *Testamentum*, d. 6. Ait ergo Angel. in omissionem consilii perfectionis nullam esse culpam, juxta cap. *Quisquis*, 14, q. 1; consilium autem reverentiæ non prætermitti sine aliqua culpa, saltem veniali. Hæc tamen distinctio nobis necessaria non est, quia non de voce, sed de re tractamus; consilium autem reverentiæ, si

recte explicetur, revera non est consilium, prout a præcepto distinguitur, sed est declaratio quædam, et iudicium de re alias necessaria ex præcepto, quod consilium dari potest ab eo qui jurisdictionem non habet, quando vero datur a superiore, dicitur consilium reverentiæ, ut bene exposuit Panormit.; et tunc non servando tale consilium, peccabitur quidem, non tamen ratione consilii nec contra superiore qui illud dedit, sed ratione materiæ, quæ aliunde supponitur necessaria, unde pro qualitate illius poterit ibi intervenire, sicut veniale peccatum, ita et mortale: est ergo tale consilium quoad modum (ut sic dicam), non quoad rem seu materiam. Nos autem hic loquimur de consilio quoad rem, seu ex parte materiæ, de quo in universum verum est nullam coactionem inducere nec obligationem, ideoque nullam esse culpam illud non sequi aut exequi, et in hoc partim convenire cum regula, seu lege non obligante ad sui observationem sub reatu alicujus culpæ: partim vero differre, quia talis constitutio addit aliquam coactionem pœnæ, et obligationis exequendi vel patienter sustinendi illam.

13. Superest respondendum ad argumenta posteriori loco in contrarium objecta. Verumtamen secundum illorum, quod erat de lege pœnali, ex dictis solutum est, et plura dicemus in particulari disputando de illa lege. Primum autem et tertium postulant prolixiora dubia, quæ in sequentibus capitibus commodius tractabuntur.

## CAPUT XXIII.

UTRUM LEX CIVILIS IN PRÆSUMPTIONE FUNDATA OBLIGET IN CONSCIENTIA.

1. *Quando lex fundatur in præsumptione, non obligare in conscientia, veritate non concordante præsumptioni, sentiunt plures.*—Hanc dubitationem postulabat primum ex argumentis secundo loco propositis in præcedenti capite; et in ea frequenter doctores docent, quando lex fundatur in præsumptione non obligare in conscientia, si veritas non concordet præsumptioni, quia conscientia nititur veritati, et quia non est intentio legislatoris tunc obligare. Ita Sylvest. verb. *Lex*, q. 9, casu 2; Adrian. quodlib. 6; Soto, dicto lib. 1, q. 6, art. 4, in fine, et in 4, dist. 22, q. 1, art. 3; Richard. in 4, d. 28, art. 1, q. 3 et 4; Castro dicto c. 5. Indicant Navar. in sum. cap. 17, n. 184, et Covar. in c. *Cum esses*, de Testam., n. 9, et in



Epitom. 4, p. 1, cap. 4, § 1, n. 9. Idem sentit Bald. in Authen. *Ingressi*, de Sacros. Eccles., n. 49, ubi ait dispositionem juris civilis quæ non fundatur in præsumptione procedere etiam in conscientia, et refert D. Thomam: expressius id docet idem Bald. in l. *Cum quis*, c. de Jur. et fact. ign., n. 19; Jas. in rubr., ff. de Acqui. hæred. n. 25, ubi alios refert. Idem Panorm. in cap. 1 de Constit., n. 10; et ibidem Felin. n. 3 et 40; Deci., lect. 1, n. 18, et sumitur ex Innoc. in cap. *Quia propter*, de de Elect., de Joan. Andr. in cap. *Is qui fidem*, Sponsal., quos cum aliis Felin. supra refert. Alleganturque pro hac sententia cap. *Is qui fidem* et cap. *Tua nos*, de Sponsal., quatenus in priori dicitur, per copulam subsecutam post sponsalia præsumi matrimonium contractum, et nihilominus dicitur in posteriori, si re vera non adsit consensus, tale matrimonium in re ipsa non esse validum. Hæc tamen jura nihil ad rem præsentem facere videntur, quia ibi non præcipitur ut in eo casu matrimonium valeat, sed solum dicitur quod præsumitur valere; certum est autem actum non statim fieri validum, quia in jure præsumitur validus, nisi forte talis sit actus ut sola juris auctoritate possit validus fieri, ut statim magis declarabitur. Matrimonium autem non est talis actus, qui possit fieri sola efficacitate canonis sine consensu contrahentium, et ideo merito in illis juribus dicitur sponsalia consummata per copulam transire in matrimonium præsumptione juris, et de jure; illam tamen præsumptionem non sufficere ad valorem matrimonii coram Deo, si re vera defuit consensus. Non potest tamen inde inferri legem in præsumptione fundatam non obligare in conscientia, quoties veritas non concordat præsumptioni.

2. *Legem in præsumptione fundatam esse duplicem: una quæ servari potest sine peccato, alia quæ non: prima potest obligare conscientiam, secunda vero minime.*—Ut ergo vera resolutio intelligatur, advertendum est præceptum superioris vel legem in præsumptione fundatam duplicem esse posse. Una est quæ servari non potest sine peccato, quando præsumptio legislatoris in veritate rei non subsistit: alia est quando, licet res ipsa non sit ut præsumitur, nihilominus lex potest sine peccato servari. In priori casu, vera et necessaria est dicta sententia, quod talis lex vel præceptum non possit in conscientia obligare; imo vero nec possit in conscientia servari, ut recte convincit dictum cap. *Tua nos*, de Sponsal., et cap. *Inquisitioni*, de Sentent. excommunic.,

et ratio est clara, quia nemo potest obligari ad peccatum committendum, sed illud potius vitare tenetur, non obstante quocumque præcepto et præsumptione humana, quia potentior est lex veritatis naturalis, aut divina, quæ tunc obligat ad vitandum talem actum, ut in simili August. tradit, et habetur in cap. *Veritate*, dist. 8. Exemplum commune est: nam Ecclesia juste præsumit esse veros conjuges illos qui in facie ipsius legitime contraxerunt, et nullum verum impedimentum irritans aut defectum consensus ostendere possunt, ideoque illos suis legibus et censuris cogit ad cohabitandum, et utendum matrimonio; et nihilominus in eo casu, si revera defuit consensus, vel adfuit impedimentum irritans, non possunt copulari conjuges scientes postea tale impedimentum, quia agerent contra veram conscientiam. Idem ergo est, quoties præsumptio est contraria veritati necessariæ ad honestatem actus.

3. Auctores vero allegati non solum loquuntur in illo casu, sed etiam in alio, quando, non obstante falsitate rei præsumptæ, lex potest sine peccato servari, et indistincte docent (præsertim Abb. et Felin.) etiam in eo casu legem non obligare. Unde inferunt, etiamsi lex humana irritet talem actum, scilicet, venditionem, electionem, vel similem, ex simili præsumptione, nihilominus actum esse validum, si re vera habeat illas condiciones quæ ex jure naturæ sufficiunt ad valorem ejus; sed de legibus irritantibus in lib. 5 ex professo dicemus; nunc vero de sola obligatione legum tractamus. Esse autem potest vulgare exemplum hujus sententiæ de lege civili, quæ jubet hæredem adeuntem hæreditatem, non confecto inventario, solvere debita etiam ultra vires hæreditatis; et nihilominus communis interpretatio est illum non teneri in conscientia solvere debita in ea quantitate quæ re vera superat vires hæreditatis. Quia lex fundatur in præsumptione, quod ille qui neglexit facere inventarium usurpare voluit pinguem hæreditatem et non integre solvere debita, quæ præsumptio in eo casu cessat, et consequenter cessat etiam obligatio in conscientia, ut est communior sententia Bartoli, et Baldi, et aliorum quos refert et sequitur Jason in rubrica ff. de Acquirend. hæredit., a n. 23. Idem ergo erit in omnibus similibus. Fundamentum enim generale est, quod veritas præfertur præsumptioni, et ideo intentio legislatoris, qui in præsumptione fundatur, non creditur extendi ad casum in quo veritas non subsistit.

4. Sed nihilominus doctrina hæc non potest indistincte et generaliter approbari, quia sine dubio aliqua ex adductis exemplis falsa sunt, ut infra lib. 5 dicemus de aliquibus. De renuntiatione autem filiæ dote contentæ, et de alienatione fundi dotalis ab uxore facta, et de similibus actibus per leges humanas irritos esse, quamvis fiant cum vero consensu, et aliis conditionibus ex vi solius juris naturalis sufficientibus, in t. 2 de Relig. tract. de Juram. latius diximus. Denique (quidquid sit de particularibus exemplis), certum videtur posse legem civilem, etiamsi (juxta modum loquendi illorum auctorum) in præsumptione fundatur, simpliciter ferri ita ut obliget et habeat totum suum effectum, etiam in casibus in quibus præsumptio non subsistit, quando in observatione legis nullum intervenit peccatum, quia potest ad commune bonum pertinere ut talis lex absolute feratur et obliget, etiamsi in particulari casu ratio ejus deficiat: ergo non potest generaliter et indistincte defendi, quod lex in præsumptione fundata nunquam obliget vel habeat effectum in conscientia, quoties veritas non consonat præsumptioni, licet fortasse sint aliquæ leges quæ in hoc sensu ferantur.

5. *Duplex præsumptio legis, una facti, altera periculi moralis.*—Quapropter distinctione utendum videtur, quam sumere possumus ex D. Thoma 2. 2, q. 60, art. 4, ad 3, ubi ipse loquitur de interpretatione alicujus rei in deteriorem partem, quam dicit posse dupliciter fieri, scilicet, præsupponendo posse ita esse, vel definiendo ita esse. Ita ergo in præsentem duplicem præsumptionem legis distinguo: unam vocare possumus præsumptionis, aliam definitionis, vel unam facti, aliam periculi moralis, secundum id quod frequentius accidit, si tamen hæc posterior præsumptio et non potius certa scientia dicenda est: loquimur tamen vulgari modo. Prior ergo modus est, quando præsumitur opus tali vel tali modo esse factum, ut in casu illo de matrimonio per sponsalia consummata, præsumitur copula facta affectu maritali et cum vero consensu contrahendi matrimonium. Posterior autem erit, quando solum præsumitur in tali modo contrahendi, verbi gratia, inesse dubium, aut timorem, vel imperfectionem consensus ex defectu judicii, quia plerumque ita accidit in simili eventu. Unde semper inest periculum morale, quod ita sit sicut præsumitur. Et hoc modo fundantur in præsumptione lex irritans professionem ante legitimum tempus ætatis, aut probationis, et similes.

6. *Prima conclusio.*—Dico ergo primo leges fundatas in præsumptione ratione solius moralis periculi obligare in conscientia, et habere suos effectus, etiamsi in particulari casu factum non sit consentaneum periculo, nec revera interveniat quod timeri poterat. Hoc probant quæ ultimo loco adduximus. Nam lex prohibens fieri professionem ante decimum sextum annum expletum obligat, etiamsi puer sit doli capax, et habet effectum irritandi professionem antea factam, ita ut in conscientia nullam obligationem inducat. Similiter, lex statuens ut votum factum a filio impubere ante decimum quartum annum possit irritari a parente, suam vim habet, etiam in conscientia, quamvis certo constet talem puerum in tali ætate habuisse perfectum judicium. Et sic de aliis. Ratio vero est, quam notavit D. Thom. 2. 2, q. 88, art. 9, quia leges humanæ attendunt ea quæ frequentius accidunt, et id satis est ut generaliter obligent. Confirmatur primo, quia ob hanc rationem, deficiente fine legis in particulari, non cessat obligatio legis: sic autem se habet in præsentem defectus præsumptionis in particulari casu, quia ibi tantum cessat ratio legis in particulari, et mere negative, quando quidem potest lex sine injustitia vel alia malitia servari, ut supponitur.

7. *Objectio.*—Sed contra hoc objici potest, quia quando lex aliquid prohibet propter vitanda aliqua incommoda, si in particulari casu cessant, seu non inveniuntur illa incommoda, non obligat talis lex, etiamsi posset sine incommodo executioni mandari, ut sentit Panorm. in c. *Quoniam contra*, de Probat., n. 6: *Dummodo* (ait) *lex non contemnatur*. Et idem sentit Navar. in sum. cap. 16, n. 37, cum Cajetan., tom. 1 Opusc., tract. 12, q. 2 de Matrimon., qui specialiter tractant de lege prohibente clandestina matrimonia, quam dicunt non obligare quando cessant omnia illa incommoda quæ lex illa vitare intendit. Et ratio reddi potest, quia tunc inutilis est observantia talis legis, nullamque honestatem habet; ergo similiter in præsentem, quando lex fundatur in præsumptione generali ratione periculi potius quam facti, non obligabit in particulari casu, ubi constiterit nullum esse tale periculum: est enim eadem ratio.

8. Respondetur negando antecedens generaliter sumptum. Nam lex prohibens deferre arma noctu propter incommoda jurgiorum vel injuriarum quæ inde sequi solent, obligat omnes, etiamsi nulla rixa timeatur. Item, lex prohibens habere plura officia reipublicæ,



propter vitandum incommodum indebitæ administrationis, obligat etiam illum in quo tale incommodum cessat, quia sufficiens est ad illa perfectissime administranda. Unde potius potest retorqueri argumentum ad confirmandam assertionem. Nam si lex prohibeat aliquid propter incommoda vitanda, obligat in particulari casu, etiamsi in illo non inveniatur; ergo similiter, etc. Præterea retorquetur ratio illius sententiæ, quia, licet cessent pericula vel incommoda, semper est honestum servare legem, et est utile ad majorem legis vigorem et observantiam. Item quia ut lex universaliter obliget, satis est quod plurimum sequantur incommoda ex contrario actu. Quocirca, ut in aliquo casu cesset obligatio legis latæ ad vitanda incommoda, non satis est ut incommoda cessent, sed oportet ut occurrant aliqua gravia incommoda, quæ in tali casu sequantur, si lex servetur, et ideo per modum epikhiæ cessare censeatur. Et ita videtur interpretari Navarr. suam sententiam, de quo puncto plura dicemus infra, tractando de interpretatione vel cessatione obligationis legis.

9. *Secunda conclusio.*—Dico secundo: quando lex fundatur in præsumptione definitiva, seu facti, non obligat non subsistente præsumptione seu veritate facti. Juxta hanc assertionem procedere potest communis sententia supra citata, eamque significare videtur Felinus dicto n. 40, verb. *Hanc fallentiam*, ubi numerat tres casus in quibus lex non obligat in conscientia; et omissis secundo de lege injusta, et tertio de lege pœnali quoad solutionem pœnæ, qui ad rem præsentem non pertinet, primus et unicus apud illum est, quando lex fundatur super præsumptis, et non super certis, ut ille loquitur; ut quando lex præcipit obedire sententiæ quam præsumit justam: nam si constet non esse justam, non obligat talis lex ad observandam illam sententiam, quia fundatur in præsumptione talis facti in individuo, scilicet, quod talis sententia justa sit. Et idem significat Baldus in dicta leg. *Cum quis*, in exemplis omnibus quæ adducit; quamvis alii utantur aliis exemplis, quæ plus indicant et admittenda non sunt, ut in libro quinto latius dicam. Exemplum autem de hærede non faciente inventarium, admissa illa opinione, ad hunc sensum debet accommodari. Et habet fundamentum in Authentica de Hæredibus et Falcid., c. 2, ibi: *Et non per ea quæ forte surripunt, vel malignanter introducere pertentant.* Et infra: *Cum utique si nihil malignati essent, non forte competeret, vel forte illa*

lex quasi pœnalis est propter negligentiam faciendi inventarium, et ideo non obligat in conscientia ante judicis sententiam; poterit autem tunc juste cogi hæres per judicem, et tunc tenebitur in conscientia parere. Neque aliud disponi videtur per illam legem. Omissis vero exemplis, ratio assertionis est, quia quando lex fundatur hoc modo in præsumptione, deficiente veritate, tollitur omnino fundamentum legis, et ideo necesse est ut cesset obligatio ejus. In quo est magna differentia inter hanc legem et illam, quæ fundatur in præsumptione periculi: quia in priori, cessante veritate, deficit fundamentum legis: in posteriori autem minime, quia semper est verum dicere actum esse periculosum, etiamsi non eveniat effectus. Unde proprie loquendo, illa ratio periculi non tam ex præsumptione, quam ex vero et certo judicio de tali periculo timetur: secus vero est, quando præsumptio est de ipso facto, quod simpliciter incertum est, licet præsumatur: unde cum non tantum periculum, sed etiam ipsum factum sit fundamentum talis legis, merito, cessante veritate facti, cessat obligatio legis. Accedit quod etiam tunc cessat materia legis, ut, in casu de matrimonio, si lex præcipiat permanere cum muliere cognita post sponsalia, et contingat non fuisse cognitam affectu maritali, cessat in conscientia obligatio talis legis, quia re vera cessat materia ejus: nam intentio illius legis est præcipere accessum ad suam conjugem, et illa non est conjux: ita ergo est in omnibus similibus.

10. *Ex verbis legis, usu, et interpretatione doctorum colligendum, quando lex fundatur in præjudicio periculi vel in præsumptione facti.*—Solum potest ulterius interrogari quomodo discernendum sit, quando lex fundatur in præjudicio periculi tantum, seu in eo, quod frequentius accidit, vel etiam in præsumptione facti, quod ita in re ipsa esse supponatur. De hoc vero non possumus certam regulam in particulari assignare. Dicimus ergo ex materia et verbis legis, adjuncto usu, et interpretatione doctorum id esse colligendum. Altera dubitatio de intentione legislatoris, quæ in alio argumento superioris capituli petebatur, post sequens caput commodius tractabitur.

## CAPUT XXIV.

UTRUM LEX CIVILIS OBLIGET VEL OBLIGARE POSSIT SUB REATU MORTALIS CULPÆ.

1. Præceptum (ut notat Cajet. 2. 2, q. 104,

artic. 2, et in sum. verb. *Præceptum*) interdum generaliter sumitur pro imperio imponente necessitatem obediendi, ita ut peccetur si non impleatur, juxta illud Hieronym. lib. 4 contra Jovin.: *Quod præcipitur, imperatur, quod imperatur necesse est fieri*, cap. ult. 14, q. 1; aliquando vero accipitur antonomastice pro imperio imponente necessitatem mortaliter peccandi si non pareatur, et utroque modo præceptum includit obligationem in conscientia, et ita utraque ratio præcepti sufficit ad veram rationem legis, et aliqua earum necessaria est juxta supra dicta. Hinc ergo oritur quæstio an lex civilis solum includat rationem præcepti large sumpti, vel etiam possit ex suo genere magis obligare, et necessitatem imponere vel parendi, vel mortaliter peccandi. In quo puncto clarius videntur loqui Gerson et Almain. supra citati cap. 20, negantes magistratui civili hanc potestatem. Idemque a fortiori tenent qui de legibus ecclesiasticis hoc docent, quos libro sequenti, cap. 18 commemorabimus. Aliqui etiam canonistæ docuerunt non esse peccatum mortale, non parere legibus civilibus secluso contemptu: Imol. in repet. cap. *Cum contingat*, de Jurjur., col. 17, cujus doctrinam in hac parte valde commendat Felin. in c. 1 de Sponsal. n. 19; unde videntur supponere ex vi talium legum non sequi per se talem obligationem. Hi vero auctores nullam novam rationem vel probationem afferunt, qua ostendant excedere efficaciam potestatis ac legis civilis, attingere hunc gradum præcepti, seu obligationis, et omnes quæ afferri possunt reducuntur ad eas quæ in c. 20 positæ sunt. Quibus omissis,

2. *Legem civilem ex genere suo obligare posse sub culpa mortali, licet hoc non semper in individuo contingat.*—Dico primo: lex civilis ex genere suo obligare potest sub reatu mortalis culpæ. Dico autem *ex genere suo*, quia certum est in individuo, seu in singulis legibus non semper esse tam gravem obligationem, ut transgressio legis civilis reatum æternæ pœnæ inducat. Quia nec lex divina et naturalis in omni materia et actione cum tanto rigore obligant, ut ex 1. 2, q. 88 et 89 nunc suppono. Dicitur ergo lex civilis ex suo genere obligare sub mortali, quia, si ex parte materiæ sit capacitas, et voluntas legislatoris interveniat, ex parte legis non deest efficacia seu potestas ad obligandum. Ita docet aperte D. Thom. 2. 2, q. 104, art. 6, juncto art. 1, q. 105, et q. 147, art. 3; Soto, lib. 1 de justit., q. 6, art. 4; Castro, lib. 1 de Leg. pœn., cap. 4 et 5; Dried.,

lib. 2 de Libert. Christian., cap. 1; Medin., c. de Pœnitent., tract. 4 de Jejun., cap. 7; Adrian. quodlib. 6, art. 2; Major 4, dist. 15, q. 4, præsertim ad 2; Navar. in sum., cap. 23, n. 55; Covar. in reg. peccatum, p. 2, § 5, n. 2 et 3, ubi plures alios refert. Et probari potest ex August. epist. 50, non longe a principio, dicente: *Quicumque legibus imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium*; utique apud Deum, ut ex contextu constat. Ostendi etiam potest assertio omnibus testimoniis et rationibus adductis in cap. 20; nam obligatio in conscientia simpliciter dicta extenditur ex genere suo ad obligationem sub mortali. Unde ratio propria est, quia lex humana ex se obligat in conscientia: ergo ex se etiam inducit obligationem materiæ proportionatam, si circa illam absolute feratur: ergo ex se inducere valet obligationem sub mortali. Confirmatur, quia ratio naturalis dictat talibus legibus esse obediendum, sicut dictat esse obediendum parentibus, et sicut dictat promissionem Deo factam esse servandam: ergo sicut non servare vota vel non obedire parentibus ex suo genere est peccatum mortale, ita etiam non servare leges civiles, seu (quod perinde est) non obedire principi seculari, ex suo genere est peccatum mortale: ergo leges civiles ex genere suo possunt obligare ad mortale.

3. *Corollarium.*—*Prædictam potestatem præcipiendi cum tanto rigore, consequi ad illam potestatem non autem esse ex speciali Dei aut Christi concessione.*—Atque hinc inferitur potestatem hanc sic præcipiendi cum tam rigorosa obligatione non convenire principibus secularibus ex speciali Dei aut Christi concessione, sed ex natura rei consequi ad illam potestatem quam habent a Deo ad gubernandam rempublicam in suo ordine. Probatur primo a simili de potestate quam pater habet ad imperandum filio, imponendo ei gravem obligationem, quando materia illam postulat: illa enim potestas non est ex speciali concessione, sed sequitur jure naturæ ex vi domini paterni et illius naturalis principii: Obediendum est parentibus juste præcipientibus. Idemque est cum proportionem de obedientia quam servus debet domino: ergo idem est de obedientia debita legibus principum. Secundo, quia potestas principis ad constituendum actum ut necessarium ad honestatem illius virtutis in cuius materia versatur, vel ad præscribendum medium in tali materia virtutis, non est ex speciali concessione distincta a potestate regendi